

SLUB Dresden

zell

**Hist.
Sax.B.
180,3.i**

m058 | MAG

ZELL 1, MOSK, MAG, P3

71.
E P I C E D I O N

Super obitum improvisum quidem & immaturum,
pium tamen & placidum

Illustrissimi, Celsissimi, pientissimiq; Principis ac Domini,

Dn. JOHANNIS,
DUCIS SAXONIÆ,
COMITIS PROVINCIALIS
Thuringiæ, Marchionis Misniæ, & Hennebergæ Principis:

*Qui
Ex scenâ ludibriorum, & vitæ huius ergastulo
Ad cœlestem patriam migravit*

V I N A R I Æ

Pridie Calend. Novemb. A. C. cId. Id. C. V. circa
horam undecimam meridianam: Magno
cum Patriæ dolore & desiderio.

Conscriptum

a
PETRO ALBERTO *Ölsniceo, Voittlande*



JENÆ typis TOBIÆ STEINMANNI.

H. Sax. B.
180,3⁴

PROCEEDINGS

OF THE

DELEGATES

TO THE

CONFERENCE

OF THE

AMERICAN

ASSOCIATION

OF

LIBRARIANS

AND

DOCUMENTALISTS

1954



7047



EPICEDIUM.



Ei Patriæ Patri rumpuntur sta-
mina vitæ!

Inclytus hei Princeps vitâ ino-
pinus abit!

Vitâ inopinus abit, qui perpete vi-
vere vitâ

Propter virtutum lumina dignus erat.

Audit ut hoc, Mundi lacrymosâ valle relictâ,

Stirps, querulas penitus diffluit in lacrymas.

Scilicet effundit questulamenta per auras

Scilicet hosce sonos corda tenella cient:

Hei Pater, alme Pater, Pater unice! sed Pater eheu

Haudmage! te nobis surpuit atra dies.

Hei properata nimis tibi stamina Parca recidit!

Hei citò vitali lumine cassus obis!

Hei miseros misero cur linguis in orbe puellos!

Te raptò nobis quid superesse potest?

Unde petemus opem? jacet hei tumultanda feretro

Spes nostræ columen, presidiumq; domus!

Patrem amiserunt; Patrem quis reddet ab umbris?

Mens gemit una Patrem: vox sonat una Patrem.

CHRISTE, fove stirpem, solamine pectora mulce,

His ope dexter ades, numine dexter ades.

A 2

Hei

Hei Patriæ Patri rumpuntur stamina vitæ!
Inclytus hei Princeps vitâ inopinus abit!
Vitâ inopinus abit, qui perpete vivere vitâ
Propter virtutum lumina dignus erat.
*Audit ut hoc Conjunx: atrox hei nuncius! omnis
Vis animum attonitum destituit penitus.
Quin quoq; deliquium rapit banc, adfligit humiq;
Exsortem mentis vix reparare datur.
Ad sese rediens, gemebundo pectore planctus
Singultat, querulis solvit & ora sonis:
Ab ab me superi simul ab subducite morti!
Me tædet Viduam postmodò luce frui.
Jam conclamatam quid opus producere vitam?
Semper & has fletus rore madere genas?
Quin simul exsanguem loculo me conditis unâ!
Quin quoq; me gelidâ contumulatis humo!
Marmore sic tecum, dilectæ marite, recondar,
Et mea junctâ tuis ossibus ossa cubent.
CHRISTE, tuo Viduæ mœrentia pectora verbo
Firma, solando vulnèra, CHRISTE, leva,
Hei Patriæ Patri rumpuntur stamina vitæ!
Inclytus hei Princeps vitâ inopinus abit!
Vitâ inopinus abit, qui perpete vivere vitâ
Propter virtutum lumina dignus erat.
*Audit ut hoc Pietas, ingenti quassa dolore,
Largifluo mœstas irrigat imbres genas!
Scilicet hic tanto Pietatis inarsit amore,
Tantus & accensipectoris æstus erat;**

Ut prius

Ut prius in cineres solvi quam cedere quicquam
De calido tulerit cordis amore sui.
Hoc opus, hic labor, hæc conamina Principe digna;
Ne quæ nutaret Religionis apex.
Ast ut purgati remanerent semina verbi,
Semina, quæ cælo germina grata ferunt.
Judice vel Jovâ, tuus hic, Ecclesia, Achilles,
Quem fuit baud ferrum, vis ve domare potis.
Providus inde suis vetuit considerare terras
Colluviem Cævi, Colluviemq; Papæ.
Sic sanæ fulsit doctrinæ nobile lumen,
Lucifero inq; suo clarius ivit agro.
Hei Patriæ Patri rumpuntur stamina vitæ!
Inclytus hei Princeps vitâ inopinus abit!
Vitâ inopinus abit, qui perpete vivere vitâ
Propter virtutum lumina dignus erat.
Audit ut hoc Regio Thuringia, luget ademptum
Rectorem, avulsum luget & illa caput.
Scilicet hoc fulsit Pax civibus aurea vivo,
Et tellus multis est cumulata bonis.
Arboreis pingues repleti fœtibus horti:
Et Cereris letus munere risit ager.
Induxit pecudes ingrata novalia Pastor,
Et cecinit patrium lata per arva melos.
Intumuit palmes generoso plenus Iaccho,
Cultorig; dedit fœnora grata suo.
Absq; metu Martis proprias exercuit artes
Spartæ quisq; suæ, divite pace vigens.

Carpere iter potuit quisquis, quacumq; cupido:

Per licuit tutas ire redire vias.

Nemo, quid Miles, fera quid Taratantara novit:

Nonnullus veritus Martia signa fuit.

Hei Patriæ Patri rumpuntur stamina vitæ!

Inclytus hei Princeps vitâ inopinus abit!

Vitâ inopinus abit, qui perpete vivere vitâ

Propter virtutum lumina dignus erat.

Audit ut hoc propriis sese Republica curis

Conficiens, tristes ingeminat lacrymas.

Scilicet est Rectore suo viduata, sacratas

Qui ferulâ fasces imperitante tulit.

Scilicet est orbata suæ virtutis Atlante,

Cujus res humero publica nixa fuit.

Scilicet est nitidâ Capitis privata coronâ

Quâ decorata suas sustulit illa comas.

Scilicet hic Patriæ famulas erat addere dextras,

Et sancire foro consona jura catus.

Scilicet huic curæ fas, leges, jura, piûmq;

Et rectum; Et placide fœdera pacis erant.

Scilicet hoc regnante datû est jus omnibus æquum,

Ut queat haud ullus jura negata queri.

Scilicet hoc regnante quies fuit omnibus una;

Et res salva foris publica priva domi.

Hei Patriæ Patri rumpuntur stamina vitæ!

Inclytus hei Princeps vitâ inopinus abit!

Vitâ inopinus abit, qui perpete vivere vitâ

Propter virtutum lumina dignus erat.

Audit

faustra sua

Audit ut hoc cœtus Musarum, implentur obortis
Fletibus: ora madent: gutta statuta genis.

Tot profusa piis lacrymarum flumina Musis,
Fons sit ut Aonidum plenus amaritie.

Hinc quibus hauritur (dolor ab dolor) unda Poëtis,
Sicca per ora meris fletibus illa fluit.

Scilicet hospitium dedit bis, alimentaq; larga:
Suffugiumq; fuit, portus & aura fuit.

Ingeniis fautor facilis, prælargus & altor,
Dona benigna ferens, æra benigna ferens.

Munificam dextram vos vos sensistis Alumni:
Castalidum junctò fœdere fama refert.

Sic viguere bonæ Musis plaudentibus artes
Et testudine à lusit Apollo lyrâ.

Inclytâ sic Pallas caput exsinuavit in auras,
Inq; suum multos sedula traxit opus.

Stirps, Conjunx, Pietas, Regio, Respublica,
Musæ.

Functâ simul cineri tristia justa ferunt.

Reddite fata Ducem, luctus iterando precantur,
Nil aliud: tantum reddite fata Ducem.

Vana petunt: somnus jam lumina ferreus urget,
Non nisi supremo ressoluenda die.

Sed tamen an: si dum current sidera Mundi,
Aeternum vivet laus sua, nomen, bonos.

Annorum hunc series memori non eximet ævo,
Cum fluet & resluet flumine Plisna suo.

Terrea

Terre a pars terræ tenui concluditur urnâ:
Cœlica pars cœlo gaudia viva capit.
Illic vera quies, portus placidissimus illic:
Perpetis est illic anchora letitiæ.
Det DEUS, ut portum tandem teneamus eundem,
Anchoram & optatam carbasa nostra petant.
Interea, donec mortali vescimur aurâ,
Conseruet navim tempus in omne suam.
Incolumes paruos conseruet in orbe Quirites,
Ut patriæ vivant entheæ corda diu.
Et Viduam illustrem sacrati flaminis aurâ
Irradiet, relevet, vulnera facta liget.
Septemvir vivat CHRISTIANUS Nestoris annos:
Expandat placido candida vela freto.
AUGUSTUS vivat, JANUS vivatq; GEORGUS:
Suffultus dextrâ vivat uterq; DEI.
Pignora FRIDRIGI Magni vivantq; WILHELMI,
Altenburge, tui cum Genitrice Duces.
Vivite Saxonicæ felicia germinarite,
Atq; Sibyllinos dinumerate dies.

F I N I S.



Hist. Sax. B.

180, 32

180, 32

x

Dieser Band wurde *1995*
durch Bestrahlung sterili-
siert. Verfärbungen stellen
keine Gefahr dar.

SLUB DRESDEN



3 2167491